

cogere, nec homines certâ cognitione imbuere, sed provocationi locum relinquet, errorique erit obnoxia. Sed his, quæ in transitu attingere tantum libuit missis, unamquamque hujus sententiæ partem seorsim refutemus; ac primò quidem scripturam non esse normam seipsum interpretandi.

## C A P. XI.

1. *Sententia Reformatorum, quâ Scripturâ sui ipsius interprestatitur, explicatur,* 2. *Atque illius difficultates adferuntur.* 3. *Vocabulorum orationumque significatus non Naturâ, sed hominum conversatione innotescere.* 4. *Communem loquendi usum non esse S. Scripturæ interpretem,* 5. *Nec à Reformatis statui, nec etiam posse.* 6. *Nullum ejus locum esse per se clarum; sed omnes ambiguos.* 7. *Nec semper etiam unum per alterum, aut obscuros per claros explicari.* 8. *Difficultates allatas non tolli regulis passim à Reformatis,* 9. *Nec effugiō, à quôdam, allatis.*

1. **N**omine Scripturæ accipienda sunt heic loci vocabula, phrases modi loquendi, sententiæ, & id genus alia, ad externum sermonem, & linguas, quibus S. Autores usi fuere spectantia: non autem sermo internus, ac orationum sententiarumque sensus; hic enim si cognitus fuerit, atque perspectus, nec interpretandus venit, nec interpretationis norma esse potest. Quis enim orationis sensum, quem jam asscutus est, aut eruere conabitur, aut ab aliò sibi erui cupiet? aut quis Sacræ Scripturæ locum obscurum ac dubium per alterius sensum, negletis atque insuper habitis vocabulis, ac dicendi modis, explicare aggreditur? Nullus sanè, qui rectè perceperit, interpretem versari circa voces, & quæ voces concernunt, atque ex iis sensum venari, atque investigare comparandò, conferendòque vocabula ac phrases orationis jam intellectæ cum vocabulis ac phrasibus orationis, quam intelligere adhuc satagit atque contendit. Adeò ut Reformatorum, atque cum ipsis facientium, quando Scripturam sui ipsius interpretem statuunt, mens atque sententia non alia esse possit, quam significationes tum singulorum vocabulorum, tum integrarum orationum, in Scripturâ occurrentium, quarum sensus latet, ope aliorum Scripturæ vocabulorum, atque orationum, quarum sensus est cognitus atque perspectus, investigandas esse, atque eruendas. Quod idem etiam confirmat Walæus, Enchirid. Religion. Christian. loc de Scriptur.

Inter-